

E P I S T O L A

perscrutanda maximo & singulari iudicio, variâq; doctrina confirmato, sis præditus (nam inde quidquid egregium est, petitur) non immeritò de tua summa virtute homines eruditi testimonium ferunt, quos liberalitate tua sustines, & cunctorum benevolentia nomine tuo conciliata, honoribus dignitatèq; amplificas. Itaque plurimi Libri Græci, Latini, & aliarum nationum lingua compositi, quos numero comprehendere nemo possit, iam tibi dicati sunt, iique planè loquuntur amplitudinis tuæ fastigium, quam tot homines ac variis locis nati, colunt: id quisq; pro se nitentes, vt honestissimis rationibus, esse tibi se obnoxios fateantur, ac quod ingenii à diis & natura tributum est, id tibi velut consecratum velint. Quando igitur nominis tui claritate famosus ac celebris es, & in Europa tota, & apud exterarum gentes vniuersas, sic existimaui neminem potuisse me deligere, qui splendore suo plus lucis afferret Commentariis meis, immensâq; gloria sua æternitatem huic operi compararet. Quamobrem animo prorsus fixum est, quod iam multis annis, & ad hæc vsque tempora intra priuatos parietes abdideram, ac delitescere cœgeram, auspiciis tuis publicare, infinito labore perfectum, & absolutum. Nec enim me fatigauit prolixi Libri magnitudo tantùm, nec in tot congerendis numismatibus (quorum Imaginem reddidimus) indefessa opera, quanquam id perdifficile sit, ac in primis laboriosum: sed in iis agnoscendis discernendisq; iudicandi modus, & ratio, difficultatis ac obscuritatis plenissima, vt amplitudo tua fat perspectum habet. Nam hæc cognitio & eruditio partim doctrina multiplici constat, & hac de causa, quia Libris explicata est, non admodum eget interpretatione: partim aspectu & copia tractationèq; Numorum ipsorum, quos quia nancisci cuius minimè licet, doctos complures videas, quod sumptus ferre nequeant, ab iis studiis alienatos, eâq; voluptate priuatos fuisse. Vtrumque verò dii tibi concesserunt. Sed quoniam in mea potestate non est, antiquos ipsos Numos amplitudini tuæ collectos offerre, quod mihi relictum est, id ego præfero, nempe hanc Epitomen, quam vt æqui bonique consulas, etiam atque etiam rogo, & velut testimonium obseruantiaæ erga te meæ, atq; Indicem quendam voluminum, quibus tua ditissima confertissimâq; bibliotheca est. Aggressus equidem sum & opus alterum, quo Numismatum antiquorum auersa pars ostenditur, absoluè propemodum, & amplitudini tuæ iam voui: sed in hoc longè plures ei conicæ spectantur effigies, memorata cuiusuis imperatoris